



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De viro vxorem non habenti, si cum vxore alterius adulterium  
perpetrauerit. lxx.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

De eadem re. Cap. LXVI.

Ex cōcil.  
Triburi.  
cap. 3.

**R**elatum est auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius uxorem stupro violasse, insuper & mœchate viuente viro suo iuramentum dedisse, vt post legitimi mariti mortem si superuixisset, duceret uxorem. Quod & factum est. Tale igitur connubium prohibemus, & anathematizamus.

De illo qui uxorem habet, & saepius mœchatus est.

Caput LXVII.

Ex cōcil.  
Elibertā.  
cap. 4.

**S**i quis fidelis habens uxorem, non semel sed saepius fuerit mœchatus, in fine mortis est conueniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si relucetatus rursus fuerit mœchatus, placuit vltcrius non illudere alios de communionē pacis.

Si laicus absolutus cum laica absoluta peccauerit.

Caput LXVIII.

Ex cōcil.  
Meldēsi,  
cap. 7.

**S**i laicus cum laica fœmina, id est, vterq; absolutus a lege coniugij concubuerit, tres annos pœniteant. Et quanto saepius & negligentius ea peccata commiserunt, tanto magis & tempus addatur, & modus pœnitentiæ.

De vxore quæ conscio marito mœchata fuerit.

Caput LXIX.

Ex cōcil.  
Mogūti.  
cap. 9.

**S**i conscio marito & ipso consentiente vxor mœchata fuerit, placuit nec in fine dandam eis communionem. Si verò eam reliquerit, & separati fuerint, & digne pœnituerint, post decem annos accipiant communionem.

De viro uxorem non habenti si cum alterius vxore adulterium perpetraverit. Cap. LXX.

Ex cōcil.  
Hānetē.  
cap. 6.

**Q**uod si vir non habens uxorem cum alterius vxore adulterium perpetravit, aut si qua mulier non habens virum cum alterius viro: ille qui fœdus violauit coniugij, VII. annos, vt supra dictum est, pœniteat. Ille qui lege coniugij non tenetur, quinque annos pœniteat. Neque enim aequalis pœnitentiā danda est his quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam coniugum amplexus: & illis qui coniuge carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem ceciderunt.